

H.V. 4

Holberg

Orientalis Fimbrivis

H.V.

ORATIO FUNEBRIS  
IN OBITUM  
AUGUSTISSIMI MONARCHÆ  
**FRIDERICI**  
**QVARTI**

OLIM  
DANIAE NORWEGIAE VANDA-  
LORUM GOTHORUMQUE  
REGIS, &c. &c.

HABITA IN CONSISTORIO

Die XII Decembris Anno MDCCXXX.

a

LUDOVICO HOLBERGIO.

---

• HAVNIAE, ex Officina BERLINGIANA.

[1746]



శ్రీపదశ్రీపదశ్రీపదశ్రీపదశ్రీపదశ్రీపదశ్రీపదశ్రీపదశ్రీపదశ్రీపదశ్రీపదశ్రీపదశ్రీపదశ్రీపద

Imprimatûr

J. P. ANCHERSEN. D.



on minus pie qvam salubriter  
ab antiquis institutum est,  
nomina Heroum publicis  
præconiis celebrare, dictisq;  
a mortalitate vindicare, qvo-  
rum facta ad immortalita-  
tem tetenderunt; nam solenni virtutum præ-  
dicatione pietatem & gratum animum in bene-  
meritos Principes testamur, & successores simul  
ad virtutem acuimus. Eum in finem sermones  
funebres a prudentissimo Athenarum Rectore Pe-  
ricle instituti fuerunt, & patuit mox instituti uti-  
li-

litas; nam, qvot orationes panegyricæ, tot virtutum fomites, qvot rerum præclare gestarum præconia, tot ad imitandum aculei; sed pauci in isto dicendi ardore debitum servant temperamentum, multi etiam aut metu perculsi tacent dicenda, aut spe præmiorum inducti laudant tacenda, ipsisq; defunctorum vitiis palam altaria ponunt. Hinc laudationes istæ solennes, qvæ instituti saluberrimi fuere, vitiorum fomites plerumque censentur, cum fenestram sæpius flagitiis aperiant, aut sponte currentibus calcaria addant.

*Qvot strages hominum, tot sunt præconia laudum,*

*Et truculenta facit pectora laudis amor.*

Eo intuitu panegyricum sibi recitare noluīt Pescenius Niger: laudare, inquiens, irrisio est, maxime Imperatores, qvi timentur. At a culpæ hujus suspicione me liberabit bonitas ac virtus DIVI PRINCIPIIS, cuius memoriam celebraturus in suggestum hodie ascendo. Vereor, ne in laudibus TANTI HEROIS parcus potius, qvam nimius videar; Hæc me cura, hæc diffi-  
cul-

cultas sola circumstat. Nam non de maximo tantum Rege, sed & de integerrimo cive, ac de indulgentissimo simul parente dicendum est. Hinc Deum ter opt. max. precor, ut digna illustri hoc auditorio, digna tanta materia, digna denique tanto Principe contingat oratio. At idem mihi accidit, qvod iis, qvibus acrius solem intuentibus acies oculorum hebescit, qvippe in illustrem adeo, ac tanta rerum varietate interstinctum campum abstractus, oberrantibus tot rerum mirandarum splendidis imaginibus, ob nimiam lucem cæcutio, defixisque in terram oculis, miror tantum, qvæ prædicare neqveo. Nam perspicue in uno FRIDERICO IV. radiant cunctæ laudatissimorum Decessorum virtutes, prudentia CHRISTIANI I. integritas JOHANNIS, clemencia FRIDERICI I. pietas CHRISTIANI III. providentia FRIDERICI II. magnanimitas CHRISTIANI IV. constantia FRIDERICI III. ac fortitudo CHRISTIANI V. Tot tantarumq; virtutum dignæ prædicationi non sufficit una clepsydra; circumscripta nimis sunt tempora, deest dicendi vis, obstat imprimis imbecillitas lateris. Hinc rem tantæ molis aggredientem sola excusabit obseqvii necessitas: Acta e-

nim Cæsar is solus digne canit Lucanus, virtutum Augusti solus præco est Virgilius, uti molem totius cœli soli Atlantis humeri sustinent. Attamen, ne videar spartam ab amplissimo Senatu Academico mihi demandatam deferere, lubens, licet trepidus, in concionem ascendo, paucula qvædam, in ista rerum ubertate, delibaturus, sed, qvæ imaginem tamen maximi Principis exhibebunt. Qvis ignorat, in qvam turbido rerum statu gubernaculo fuerit admotus? qvanta non opus erat constantia ad sustinendam istam, qva premebamur, belli molem? qva non fortitudine ad retundendos tot hostiles impetus? qva non prudentia ad discutiendum hunc con spirationis globum, ad vanas reddendas tricipitis fœderis minas? Obsidebamur tribus simul potentissimis hostibus, qvorum vires in terrorem regiæ hujus civitatis sociatæ erant, adeo ut actum videretur de nomine Danico, ni FRIDERICUS IV. eo tempore contigisset. Tanta tunc ILLE sedulitate procellas sedavit, turbida composuit, ac si solium conscendere noluerit, nisi pacificus Imperator; Nam simul cum regno, ut ait poëta, pax ista venit. Eluctatus hæc discrimina, ac stabili-

ta

ta innumeris triumphis potiore pace, ramum  
prætendens olivæ, solium concedit, ad vulnera  
regnorum sananda totum se convertens; Igitur,  
ne incauti, inermes ac imparati ab hostibus sæ-  
pius opprimerentur subditi, in ordinanda Regno-  
rum militia tantam adhibuit curam, ut verus mi-  
litiæ fundator dici meruerit; aggressus mox in-  
genti animi fiducia clarum ac memorabile illud  
pietatis opus, quod sæpius, sed frustra, tentaverant  
Decessores, ad pileum vocando totius regni agri-  
colas, qui sub dira servitute diu torpuerant, no-  
lens enim Rex pius ac vere christianus servis im-  
perare, odiosum istud discrimen sustulit inter li-  
beros & adscriptitios glebæ. Celebrantur pas-  
sim Principes, quod circa prima imperii auspicia  
unum vel alterum captivum ab ergastulis libe-  
rant. Solvuntur hic unico pio edicto totius re-  
gni servilia vincula. Stupent inopina libertate  
ipsi rustici, mille simul vocibus canitur nomen  
liberatoris, mille simul benedictionibus integra ru-  
ra ac provinciæ exsonant. Ita primis imperii  
annis vocari meruit pacis adsertor, militiæ fun-  
dator, ac libertatis Danicæ vindex. Singula hæc  
momentosa adeo sunt, ut incredibile sit, trien-

nii spatio perfici potuisse. Ad curam deinde legum ac tribunalium animum deflexit, qvibus reformandis, atqve ex integro condendis, totas vires, omne tempus, ab initio imperii usqve ad extremum vitae halitum, insumpsit. Hæc cura Principem justitiæ amantissimum imprimis exercuit, satis gnarum, e justitiæ administratione veram parari magnitudinem, nomen ornari, ac salutem Reipublicæ fluere, satis gnarum, Rhodum hanc esse, ubi saltare debent Principes. Omittam hic exerte partiteqve exponere leges, qvas tulit, tribunalia, qvæ instituit, ac collegia, qvæ aut restauravit, aut ex integro condidit, qvocunqve enim lumina flectimus, occurrat nomen fundatoris FRIDERICI IV. adeo ut Daniæ ac Norvegiæ non tam imperasse, qvam utrumqve Regnum condidisse videatur. Hæc ac innumera alia taceo, qvæ communia habuit cum aliis bonis regnum ac rerumpublicarum moderatoribus, immorabor tantum iis, qvæ de solo FRIDERICO IV. ita dicuntur, ut eadem de plerisqve dici nequeant. Inter opera ista referenda est religiosis propagatio, cum anno imperii sexto, primus non solum inter Reges Daniæ, sed primus etiam

in-

inter Principes evangelicos, verbi divini præcones ad Indos mittere decreverit; nam qvi noluit imperare mancipiis, noluit etiam imperare idololatris. Notum est, qvalem successum habuit pius adeo conatus, celebratur eo nomine DIVI REGIS fama per totam Germaniam, Britanniam ac Bataviam; mirantur omnes insignem REGIS pietatem, applaudunt veræ religionis adsertores, frendent Pontifici, qvorum calumniis pio ac nobili hoc molimine obviam itum: desinant jam ii frigus in propaganda religione Protestantibus objicere, circumspiciant nova & insolita argumenta ad probandam religionis Romanae veritatem, cum perierint vetera, desumpta ab ardore, qvem sibi peculiarem ja&tant in gentilium conversione. Frigidissimus Septentrio eodem jam ardet religionis promovendæ studio; Ja&tet Roma sua seminaria, ja&tet collegia de propaganda fide Dania olim; vagina gentium, jam qvoqve fit vagina martyrum; monstrat & Hafnia seminaria sua, qvæ nutriunt homines religionis veritatem sanguine suo apud remotissimas gentes signaturos. Plures eqvidem proselytos facit Roma, meliores ve-

ro Dania; nutrit illa musicos ac mathematicos,  
nutrit hæc theologos; mittit illa disertos ora-  
tores, hæc bonos viros; illi gentiles in partes tra-  
hunt, convertunt hi; illi arte, hi solo evangelio  
idololatriam profligant. Præclara adeo opera,  
qvasi tempore tyrocinii, a DIVO FRIDERICO IV.  
confecta sunt, cujus si respiciam annos, juvenis  
adhuc est, si vero facta, senex jam dudum mi-  
hi apparet. Crederes hæc & similia non nisi in  
altissima & multorum annorum non interrupta  
pace perfici potuisse, mireris eo magis undecen-  
nale gessisse bellum, qvocum nullum in septen-  
trione, aut gravitate, aut diuturnitate, compa-  
randum est. Dabit undecennale illud bellum  
largam oratoribus laudandi materiam. Spatio-  
sum hunc campum relinqvo iis, qui solam Re-  
gum magnitudinem e numero palmarum meti-  
untur; Gloriosum eqvidem hostem toties profli-  
gare, tot naves mergere, tot arcæ expugnare,  
gloriosius vero in ipso belli æstu fundationem du-  
centarum qvadraginta scholarum, in usum paupe-  
ris juventutis, proprio moliri sumptu.

*Est nihil in Cyri , nihil est in Cæsaris ætis ,  
Qvod factō opponam , REX FRIDERICE.*

*tuo.*

*Dum numerant alii tua splendida bellica gesta ,  
Dumqve canunt palmas , templa scholasqve  
cano.*

Id qvod pie in ipso belli strepitu decrevit, feliciter paludatus adhuc, nondumqve depositis armis, perfecit. Hic vero mihi magnus videtur DIVUS REX. Hæc sunt veri Herois opera, laurum poscentia, ac hymnis carminibusqve æternum celebranda. Miror igitur bellatorem FREDERICUM IV. qui hostium ferociam comprescit, maris dominium adseruit, ac integris provinciis regnum adauxit, præsertim, cum rem haberit cum gente non telis magis, quam suo cœlo, suo sydere, ac longa vincendi consuetudine armata, cum bellicosissimo Rege Carolo XII. ad cuius solum nomen trepidare solebant gentes, qviqve cuncta fulminis instar sternere, ac torrentis modo obruere consvererat; Miror igitur bellatorem nostrum, miror magis bellatoris pietatem, qui hostili adhuc madidus crux, tale ag-

gressus est pietatis opus, crederes de hoste triumphare noluisse Regem, nisi pio aliquo opere simul insigniretur triumphus. Si ad bellum istud undecennale oculos vertamus, si numerus ineatur eventuum, si ad animum revocemus clades, victorias, obsidiones, conflictus, quae terrestres, quae maritimos, ductos in triumphum cum ipso Duce exercitus, cæsas totius Sveciæ cum ipso Rege copias, arcium ac oppidorum expugnationes, provinciarum acquisitiones, præsentiam ubique Regis, qui rerum præclare gestarum testis, laudator, adjutor & autor erat, diceres, se posita omni alia cura, bellicis rebus tantum vacasse; si vero curam templorum, ædificiorum, scholarum, legum respicias, crederes in altissima pace regnasse; nam uno eodemque tempore in acie erat plus quam miles, in solio plus quam Rex, in sententia dicenda plus quam senator, & in templo plus quam sacerdos. Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace, alium toga sed non & arma honestarunt, ille quæsitam belli gloriam pace, hic pace partam gloriam perdidit bello; sed virtutes divi Principis nullo vitiorum confinio lædebantur. Magnus evidem, qui tot

tot simul rebus vacare valuit, major, si nunquam coactus fuisset stringere fulmineum gladium, major enim dicendus ille, sub cuius regimine justitia, pax, mercatura, artes ac studia sola florent. Sed, ut ipsi saepe Minoes, ipsi Lycurgi, ipsi Augusti in tempora sagata incidunt, ita REGI pacis ac justitiae amantissimo non contingit ista felicitas, ut clausum semper haberet Jani templum; Bella tamen ita gessit, ut in omni opere clementia cum fortitudine certaret, hostes vicit, ut parceret, captivos fecit, ut clementiam exerceret. Finito tandem gravissimo hoc bello, partaque firma, stabili & regnis gloria pace, tempus erat REGI jam seniori, ut valetudini consuleret, utque vires, tot molestiis, tot annorum solicitudine fractas, reficeret, sed insita regnum cura nondum receptui canere permisit; vidimus ex integro recalescere spiritum, labores duplicari, vigilias ad gallicinia usque produci, licet non deescent, qui suppliciter orarent, ut viribus tandem parceret, aut partem saltem onerum in alios devolveret. At noluit vigilantissimus REX minima onerum parte levari, credidit regnum esse stantem mori, credidit, quemadmodum

faces assidua concussione ignem custodiunt, sic vires continuatione servari, intercapidine ac remissione languescere, ideoqve iidem seni, qvi juveni, labores, eadem pervaigilia, eadem in munere obeundo alacritas. Qvæ secuta sunt opera, ærarii sc. restauratio, monetæ reformatio, mercaturæ ac artium cura, legumqve salutarium multitudo, monstrant in senili corpore juvenilem ardorem. Curam habuit corporis, ad leges frugalitatis se adstrinxit, non ut vitam produceret, sed ut aptam laboribus redderet, non ut sibi, sed ut subditis viveret. Hæc erat votorum summa, hoc solo intuitu productius ævum optavit, & annuit votis Deus, nam cum annis creverunt corporis animiqve vires, adeo ut optima usus sit valetudine usqve ad novissimum morbum, qvi ILLI fatalis fuit.

*Non mihi centenis resonent si vocibus ora,  
Pandere cuncta queam.*

Nam ne centesimam qvidem rerum gestatum partem exposui, pauca tamen, qvæ in istis temporis angustiis leviter tantum perstrinxi, ea sunt

sunt, qvæ imaginem MAXIMI PRINCIPIIS graphice exprimunt. Hæc & innumera alia laudabiliter egit; restat, ut dicam, qvæ non minus laudabiliter passus est, cum sævæ ac funestæ, qvæ in OPTIMI REGIS tempora inciderunt, clades magnæ ac invictæ constantiæ argumenta sint. Nam, sicut maris cœliqve temperiem turbines tempestatesqve commendant, ita ad augendam constantiæ & tranqvillitatis regiæ gloriam tot clades catervatim irruisse videntur. Qvot non in ipso imperii initio jacta circum se videbat fulmina? Hæreditatem a *Divo Parente* accepit simul cum onere gravissimi belli. Propulsandum erat bellum, obsessa regia metropolis liberanda, tres potentissimi hostes aut debellandi, aut placandi erant, anteqvam rerum potiretur. Trinis obsessa maria erant classibus, infesta reddita litora, infesta ipsa provinciarum meditullia. Haud procul a regia urbe stabat hostilis exercitus; nec minori tempestate Cimbria jaætabatur, ubi belli sedes; brevi! qvocunqve oculi circumferebantur, classes, exercitus, incendia, strages, ruinæ occurrebant, aut minæ fremitusq; audiebantur. Tot simul fluætibus jactatum regnum sola REGIS constantia

su-

sustinuit, confirmatis enim suorum animis, & idoneis defensioni, necessariisqve, qvod in ista festinatione licuit, conquisitis, nihil recusat, qvod ejus prudentiam, præsentiam vel autoritatem desideraret, omnia pro tutela ac salute subditorum ausus, licet, in ista malorum congerie, cui primum obviam iretur, incertum esset. Trepidasset aliis adire hæreditatem adeo lubricam, ac tanto onere pressam, sed fidenti ac regio animo adiit, afflictis affuit, venit, vidi, vicit; nam ingruentibus undique malis cataphractum pectus opponendo, bruta & inania redduntur fulmina, hebetantur tela, belli vis frangitur, ac lætior undique fortunæ vultus apparet. Ita, dum lugubri ululatu omnia exsonant, pectora gemitibus diducuntur, ac de salute reipublicæ omnis spes abjicitur, nunciatur salva, ac tranquilla esse omnia, nunciatur, regnare pacificum Imperatorem. Ita placuit Divino Numinis NOVI REGIS patientiam experiri, ut eo testatior redderetur in adversis constantia. Non minori fortitudine eluctatus est alias calamitates, qvarum nullam unquam ætam vidimus feraciorem; nam nunquam major erat DIVUS REX, quam in adversis, nunquam

virtutes ejus magis nitebant, quam temporibus æ-  
rumnōsis, nunquam vidimus fortiorē, quam  
cum montes malorum irruerent. Taceo multo-  
rum annorum sterilitatem, taceo diluvia, quibus  
stratæ segetes & deplorata colonis vota jacuere, in  
Holsatia ac Dytmarsia; taceo pestem, quæ tan-  
tam in regia hac metropoli edidit hominum  
stragem, ut mixta jacerent incondita vivis cor-  
pora, & terra fere tumulis deesset, loqvar tan-  
tum de atro isto die (qvanqvam animus memi-  
nisse horret) qvo potior pars regiæ hujus civita-  
tis, cum præcipuis templis ac tota academia, in ci-  
nerem redacta fuit. Qvæ enim tam tragica, tam  
poetica, ac, qvanqvam in re vera & recenti, tam  
fabulosa materia? Inter clades maxime illustres,  
qvæque novas in historiis epochas pariunt, nume-  
rari potest incendium Hafniense. Qvippe regia  
hæc civitas, si qvidem magnitudinem spectes,  
multis aliis urbibus, si vero pondus, nulli cedit,  
cum, qvicquid ad decus ac robur utriusque regni  
spectat, ibi tanquam in centro cernatur. Emi-  
cuere tunc maxime virtutes DIVI PRINCIPIS;  
cujus cum in omnia intenta adeo ac accincta  
bonitas erat, ut triste aliquod seculo suo passis ad

re-

remedium salutemque sufficeret, ut sciret; ita in  
universali ista calamitate maxime se conspicien-  
dam præbuit. Ibit in secula, qva solertia in ipsis  
angustiis affluentiam annonæ curavit; qvaque  
munificentia tam universos, qvam singulos, pro-  
sequtus est, qvaque alacritate casibus intercessit,  
ac fortunæ occurſavit, adeo ut id malum videre-  
tur ævo nostro contigisse, ut eo spatiösior campus  
daretur pietati ac constantiæ FRIDERICI IV.  
Consumpta sunt tristissimo hoc incendio templum  
D. Virginis, S. Petri, Sanctorum Hospitum, Tri-  
nitatis, cum publica academiæ Bibliotheca, tur-  
ris astronomica cum globo ac instrumentis ma-  
gni Tychonis, curia senatorum, nosocomia,  
tota Academia, cum ædibus publicis Professorum,  
Communitas regia, centum pauperum studio-  
rum altrix, qvatuor splendida Collegia, sc. Re-  
gium, Walkendorffianum, Mediceum ac Elersia-  
num, & innumera alia, qvæ dicere non attinet,  
in tanta notitia, in universali ista Academiæ ca-  
lamitate, sola hæc domus, solum hoc Professo-  
rum senaculum, inter tot jacentium ac contiguo-  
rum ædificiorum strages, ab injuria ignis intactum  
est, ne deesset forsitan locus ubi parentalia optimi  
Re-

Regis celebrarentur: nam qvæ nova circum renasci cernimus Musarum domicilia, DIVI PRINCIPIIS beneficio e cineribus incensæ universitatis exsurgunt.

Hæc a me prolatæ sunt, non ut conspectum rerum a DIVO PRINCIPE gestarum exhiberem, sed potius ut monstrarem, qvantæ sit molis digne de TANTO REGE loqui, ut monstrarem triginta annorum concatenata prodigia facundiam haud vulgarem poscere. Suggestum enim conscendi, non ut laudarem, sed ut voluntatem laudandi testarer; non ut acta enarrarem, sed ut mirarer, qvæ enarrare neqvirem, utqve attonitus faterer, oceanum esse, qvem scapha transmittere est temerarium; nam aut minor debuit esse Heros, aut major Herois laudator. Igitur orationi vix inceptæ colophonem impono, ac a limine, qvod vix intravi, pedem retraho; excusabit ingenii tenuitas, excusabit rerum dicendarum moles; sed, anteqvam e cathedra descendendo, rudi conabor penicillo imaginem PRINCIPIS exprimere, cum acta enarrare neqveam. Errat REX pietate in Deum, justitia animiqve magnitudine, moderatione, fide, armorum gloria, labore, constantia ac integritate nulli Principum se-

cundus. Statura erat mediocri, sed in corpore exiguo ingens erat animi vis, in angusto pectore generosus spiritus, seria, joca, majestas, popularitas per vices animum partiebantur: Nam, cum de rebus publicis ageretur, gravior Curio Fabricioque, frontem majestate nitentem præ se tulit; rursus in quotidiana vita exorrectæ erat frontis, facetus, hilaris, festivus. Gravitas tamen sine tristitia erat, & popularitas sine humilitate. Nam in ipsis frontis nubibus serenitas, in ipsis risibus majestas semper enituit. Paucis sane ista majestatis ac hilaritatis contigit concordia, paucis utriusque oppositæ quasi virtutis tantus concentus, cum nihil severitati ejus hilaritate, nihil gravitati simplicitate, nihil majestati humanitate detraheretur. Tota DIVI REGIS vita erat perpetua occupatio; finis alterius laboris gradus erat futuri. Qvis enim ex illis, quorum vita vel occupatissima dicitur, collatus BEATO PRINCIPI, non quasi somno ac inertiae deditus erubescat. Duros igitur & assiduos pertulit labores, dum vires annique sinerent, nec remissionem egit vitam, cum anni refragarentur. Hinc non defuere, qui perpetuum istum studiorum ardorem in sene præsentem sexagenario reprehendere non du-

dubitarunt, & forsitan non sine causa, existimantes sc. viribus consulere eum debere, ac partem onerum in subditos derivare; nam, cum insomnes ipse noctes egerit, cumqve perpetua sibi indixerit pervigilia, nil praeter otia nobis relictum fuit; miror indefessos istos & prope Herculeos labores, & licet concedere in reprehendi posse, laudo etiam, ob piam Regis intentionem. Nam nihil alienis oculis intueri voluit, nullius rei dici voluit autor, nisi cuius revera esset; hinc summus & solus ipse rerum architectus subditis tanquam instrumentis fabrilibus usus, qvicquid jubet, ipse meditatur; qvicquid ædificat, ipse disponit; qvicquid nomen FREDERICI IV. præ se fert, fœtus genuinus FRIDERICI IV. censendus est. Ut brevi rem praecidam, immensum ac nunquam intermissum laborum ardorem testantur negotia REGIS, otia nostra. Sed (qvod maxime mirandum est) in continuo isto negotiorum æstu, tanquam otiosus, omnibus sese obvium præbuit, omniumqve querelis aditus semper patuit. Felices subditos, qvorum fides & industria, non per internuntios & interpretes, sed ab ipso REGE, non auribus modo, sed & oculis probantur. Miror istam in audiendis omnium

subditorum querelis patientiam, miror, quod audiverit, miror vero magis, quod tot negotiis dissentus audire potuerit. Haerebat lateri ejus, quisquis accessit, finemque sermoni suus cuique pudor, non morositas REGIS, fecit; nullius enim prolixo sermone, nullius ne garrulitate quidem, aut molestis nugis expugnari ista patientia potuit, nisi quod, ultimis imperii annis, perpetuam istam irruentium licentiam ad statas horas restrinxerit. Cunctis sic omnium querelis patuit, solis adulacionibus obstructus fuit aditus. Si justitiam respiciamus, tanta erat in REGE aequitatis observantia, quanta vix exspectari potest ab aequali. Nam in litibus regiis non minor erat suffragiorum libertas, quam in privatis. Hinc causa toties cecidisse vidimus REGEM, quoties pluralitati suffragiorum placuit, ut caderet. Miror insignem istam juris observantiam in PRINCIPE, cuius nutu terrae mariaque regebantur; miror judicium constantem in jure dicundo libertatem; gratulor REGI, quoties victus foro discessit, & gratulor foro, quoties victum abire patiebatur, quamvis in ista fori libertate non tam judicum candor, quam justitia REGIS enituerit; nam multabant illi, non tam quod

leges jubeant, quam quod sciebant, contra leges  
absolvi noluisse PRINCIPEM; ideoque non tam  
laudandi sunt judices ob libertatem judicandi,  
quam laudandus est PRINCEPS ob libertatis in-  
dulgentiam. Nam, quoties lite cecidit, toties  
de se ipso triumphavit, victus scilicet non ab aucto-  
ribus, sed a se ipso: Igitur, quot improsperi con-  
flictus, tot triumphi, quot damna, tot æternum  
duratura gloriae monumenta. Magnus est Syra-  
cusanum legislator, qui legem proprio sanguine  
firmavit, major DANORUM ac NORVEGO-  
RUM REX, qui cum legum esset principium ac  
finis, legibus constanter obtemperavit. Clario-  
ra evide illa sunt, haec vero majora; nam quid  
majus de Monarcha nullis legibus circumscripto  
dici potest, quam quod toties adversariis succu-  
buerit, præsertim cum non paucæ, quas contra  
subditos perdidit, lites adhuc dubii juris censean-  
tur. Qanta in Deum erat pietas, monstrant  
templa, nosocomia, eleemosynæ, religionis tam  
conservandæ quam propagandæ cura & Numinis  
affiduus cultus. Et licet, quod maxime mire-  
ris, nemini Principum esset pietate secundus, atta-  
men ob levissima errata se admoneri publice pas-

sus est, Theodosium enim semper imitatus est, licet non omnes Ambrosii essent, qui Ambrosii libertate usi sunt. Hæc est vera pietas, quæ non activa tantum sed & passiva est, quæ sancti evadimus, antequam nobis ipsis videmur, quæ merita acquirimus, quæ soli nos ignoramus. Hinc, cum multi in pietate REGEM exscribere conati sunt, pauci pietatem REGIS adepti sunt; nam, licet omnium esset optimus, omnium tamen monita patienter tulit, & cum sanctus esset, sanctus videri noluit. Idem de aliis DIVI PRINCIPIS virtutibus dicendum est, multæ perpetuos vibrabant radios, plures nubibus tanquam obvolutæ, non nisi penitus rimantibus occurrebant; ita non tam visus est, quam revera fuit, sanctus, non tam visus est, quam fuit, humilis, non tam visus est, quam revera fuit, strenuus bellator. Prodigus equidem animæ non erat, nec absqve necessitate mortem properans, nulla tamen discrimina, quoties opus erat Imperatoris præsentia, recusavit. Nec timuit bella, nec provocavit: testantur utrumqve prælia, quibus interfuit, & pax, quam in ipso victoriarum cursu potentibus dedit. Sed arma virum-  
que

qve canant ii, qvi virtutes heroicas lacertorum robore, ac numero laurearum metiuntur, sat mihi erit, conspectum dedisse virtutum, qvæ ad imitationem proponendæ sunt. Igitur, more laudatorum, non comparo DIVUM NOSTRUM PRINCIPEM cum Hercule, qvi flagellum gentium suo tempore fuit, nec cum Alexandro, qvi fere solebat, nil sibi vincendum patris virtute relinqvi; comparo cum Salomone, pietate, justitia ac solis pacis artibus claro, & ad cujus exemplar expressam video OPTIMI REGIS vitam; nam, licet Salomonis pacifica tempora non nactus sit, Salomonis tamen pacificos mores imitatus est. Bella enim, qvacunqve felicitate gerantur, calamitosa sunt; Hinc inter ærumnas, qvarum, ætate FRIDERICI IV, tantus erat proventus, numero & hanc bellandi necessitatem. Attamen fortitudo Regis non suis defraudanda est laudibus; sed laudetur cumulatius ab iis, qvi sola Martis certamina Principes ornare judicant. Suppeditabunt mihi largissimam laudandi materiam justitia, pietas, prudentia, labor, constantia, fides & innumeræ aliæ virtutes, qvæ, positæ tanquam ex ordine, gemmæ vitam PRINCIPIS ornarunt. Dabit im-

pri-

primis fœcundam laudandi materiam, insignis illa animi moderatio, ac rara illa clementia, qvā omnes omnium ætatum Principes superasse mihi videtur, & ob qvam deliciæ Arctoi orbis vocari meruit. Nam qvæcunque judicis sententia ad tribunal REGIS relata fuit, mitior semper ac moderatior rediit. Lentus erat ad iram, &, si cui forte irasceretur, ab oculis tantum removeri passus est, absqve minima, aut honoris, aut bonorum diminutione. Loqvebamur tanqva in libera civitate: Lusimus, jocati sumus, facetiisqve invicem certavimus absqve metu, cum ob libertatem lingvæ, & dicta incautius prolata nemini succensuerit: &, si forte succenseret, ira tamen sine verbere confidebat.

In judicium a subditis vocatus, cum auctoribus ad præstitutam diem comparuit, suffragiis victus judicibus nunqva succensuit, publiceqve a censoribus sacris admonitus, SIBI IPSI, non oratoribus, iratus, medelam erratorum promisit. Ut ut animata eras regia aula, ut ut indoles erat regii ministerii, semper eadem erat regia clementia. Docet rerum magistra experientia, mores sæpe cum

cum annis mutari, monstrat, morosam & te-  
tricam senectutem infirmitatibus s̄epe succumbe-  
re, qvibus ætas virilis masculine obductata est; hinc  
sub Principe seniore, si malis obsidetur consilia-  
riis, veremur omnia, imaginamur omnia, cum  
canities mores simul cum membris ac artubus  
reddat titubantes. Sed clementia DIVO NO-  
STRO REGI adeo erat naturalis, senioqve ejus  
tenaciter adeo adhæsit, ut certi essemus, nulla ar-  
te, nullis machinis posse expugnari. Hinc cele-  
bre istud effatum, qvod in ore ac sermone omni-  
um versabatur: *Qvicquid moliantur, cudant, stru-  
ant homines, nunquam a clementiæ semita deflectet*  
**FRIDERICUS QVARTUS.**

Qvanta in ærarii administratione usus est pro-  
videntia, qvanta arte, exinde patet, qvod simul  
cum belli undecennalis confectione, cessaverint  
tributa, levata fuerint onera, qvæ circa pacis in-  
itia, cum vulnera nondum cicatrice sunt obducta,  
duplicari solent. Visus hinc in alta pace regnasse,  
cum tamen defunctus esset bello, quo nullum  
diuturnius ac sumptuosius unqvam sustinuit sep-  
tentrio noster. Reddita regnis gloria pace, in

eo totus erat, ut debita solveret, nomina expungeret, oppignoratas provincias redimeret; paucisqve annis cum summa omnium admiratione tantæ molis opus, qvod integrum ætatem poscit, non modo feliciter expedivit, sed haud contemnendum qvoqve ærarium moriens reliquit. Hæc omnia eo majorem movent admirationem, eo majori digna sunt encomio, cum interea temporis solitis sumptibus nihil fuerit detractum, aulaqve regia nunquam fuerit nitidior. Hæc sunt vera oeconomicæ prudentiæ specimina: verus is dicendus est ærarii Rector, qvi nitorem & providentiam, munificentiam & frugalitatem, res alibi insociabiles, constanter miscet: Nam mysterium istud est; solis illis perspectum, qvi in arte regnandi excellent, qvi in studio oeconomico maturuerunt, & qvi peritiam & experientiam FRIDERICI IV. attigerunt. Fundamenta ille posuit præsenti regni ærario, qvod inter opera DIVI PRINCIPIS maxime est monstrabile. Monumentum est æternum duraturum, & opus est summi artificis, qvod omnes ærariorum moderatores exscribere debent. Laudanda etiam in DIVO PRINCIPE est summa sobrietas, præsertim cum in ætatem

in-

inciderit, ubi nobile habitum fuit diurnare ac pernoctare in poculis, crudumque ab altera cœna pavonem recta in alterum convivium portare. Sobrius IPSE REX sobrietatem & aliis imperavit, idque non tam legibus sumptuariis, quam proprio exemplo, nam vita Principis censura est; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio opus est quam exemplo. Ad REGIS exemplum totam subito componi vidimus regiam aulam, hanc imitata est civitas, & civitatem sequebantur provinciæ, adeo ut, stupenda veluti metamorphosi ebrietas transformata passim fuerit in sobrietatem, gula in temperantiam, & luxus in continentiam. Gloriosum est vitia legibus cohíbere, gloriosius exemplis, non metu; gloriosum venienti occurrere malo, gloriosius inveteratum radicitus tollere, cum ægrius depellatur diuturna lippitudo, quam repentinus oculorum tumor. His igitur ex causis, licet plenus annis obierit, necesse est tanquam immaturam mortem defleamus, si fas tamen est, aut flere, aut mortem vocare, qua TANTI REGIS mortalitas magis, quam vita amissa est. Vivit enim, vivet semper, atque etiam latius in memoria hominum ac sermone versabitur, postquam ab oculis recessit. At, quamvis IPSE vivit, nobis tamen mortuus est, nobis evanuit, tristissimo, hoc abitu nos orbos; regna vidua destituit. Qvis agitur in tanta jaætura, nisi ingratus, nisi ferreus sit, lacrymis temperare, aut mærore vacare potest? siccis cui oculis ossa TANTI PRINCIPIS aspicere fas est? Pertundite igitur pectora, o cives! vestes lacerate, ingeminate suspiria, ac veris mecum lacry-

mis plorate DIVI HEROIS obitum. At qvorsum dolore  
abripior, qvid de orbitate aut viduitate loqvor, qvis mor-  
tuum subditis dicit, cui TANTUS SUCCESSION surro-  
gatur, qvi spes nostras extinctas refovebit, ac languentibus  
novum spiritum dabit? justis igitur OPTIMO REGI per-  
solutis, removete cupressos, adducite lauros, finem impo-  
nите planetibus, exporrigite frontes, ac arrigite vultus;  
nam e cinere DEFUNCTI REGIS exsurgere videmus  
**NOVUM PHOENICEM**, qvi affictos solabitur, ac fomen-  
ta vulneribus admovebit. Ante TUUM igitur Augustum  
pulvinar, ad TUÆ MAJESTATIS pedes, qvod reliquum  
est orationis, subiectissima veneratione cernuus depono.  
Salve igitur, AUGUSTISSIME MONARCHA! CHRI-  
STIANE SEXTE! TUUM jam regium caput hæc ja-  
cens corona, Tuas regias manus hoc sceptrum, hic gla-  
dius, hoc aureum pomum postulat. In TE unum nunc  
ora, in TE, tanquam solem orientem, omnium oculi con-  
versi sunt; a TE novam vitam, novam agilitatem, no-  
vum motum ac spiritum exspectamus; fac ut nomine  
tantum, non re, amississe FRIDERICUM IV. videamur.  
Regna, qva ILLE, felicitate, exerce, qvam ILLE, clemen-  
tiam, dilige subditos, qvo ILLE, amore, & habebis,  
qvos ILLE, filios, experieris, qvam ILLE, pietatem,  
& imperabis, qvibus ILLE, subditis. Nam uti soli  
*Augustissimi Decessores* TUI tales meruere subditos, ita soli  
Dani ac Norvegi tales merentur REGES. Ostentent a-  
liæ gentes ingenia, ostentent fortitudinem & innumeræ a-  
lias virtutes. Dubiam forsitan palmam in plerisque no-  
bis

bjs facient, fatebuntur tamen vel invitæ, pietatem in Principes esse notam characteristicam Danorum ac Norwegerum, fatebuntur eos esse, qvi Reges suos non solum venerantur, sed & ardentissime amant, eos esse, inter qvos, non tam claustris & munimentis, qvam amoris excubiis, defenduntur Principes. Igitut taliter in Reges animatos subditos gratiose amplectere, ac ulnis clementiæ fove. Fer opem afflictis, ac miserere incensæ regiæ urbis. Cernis, AUGUSTISSIME REX ! in qvæ te tempora reservavit Divina Providentia, segetem vides, ubi nuper Troja fuit, cineres, ubi nuper splendida tecta, mendicitatem, ubi nuper opulentia ! Potior pars urbis tristi adhuc mersa jacet favilla, tectaque, qvæ sparsim surgunt, non minus plorant, qvam rudera ; cum nihil præter nudos & famelicos Dominos contineant. Aspice, qvam largatjbi detur bene faciendi materia ; reputa, qvot statuæ tibi ponendæ sunt, quantum thuris cremandum, quantum celebraberis, qvot benedictionibus cumulaberis, si ab interitu nos vindices, si afflictis auxiliatrixem dextram porrigas. Opem te poscimus omnes, poscunt, qvi sub tectis, poscunt etiam, qvi sub dio habitant, illi, qvod in ædificando vires attritæ sunt, hi, qvod ædificare nequeunt. Dedisti nobis haec tenus, circa prima Imperii TUI auspicia, insignia pietatis TUÆ specimina. Nam qvot leges dedisti, tot paternæ affectio-  
nis argumenta, qvot regia edicta prodiere, tot beneficia, fonte qvot verba, tot solatia. Fac ut a te, tanq; a largissimo deriventur in nos clementiæ rivi, qvi ver purpureum ac redolentia post tot annorum calamitates gramina profereant.

rant. Singulorum recensionem nec temporis angustiæ,  
 nec vires oratoris, nec modestia REGIS patiuntur; suffi-  
 cit mentio unici edicti, qvod maximum pietatis speci-  
 men exhibet. Regium est conscribere milites, paternum  
 est exauctorare, prudenter agricolas armavit DIVUS  
 PARENTS, pie TU exarmasti, in tempora sagata ILLE in-  
 cidebat, cum opus esset milite, in tempora togata TU in-  
 cidis, cum opus sit aratoribus. Hinc PARENTIS solici-  
 tudinem laudamus, FILII pietatem miramur. Arinorum  
 ILLE, TU togarum ostentatione, hostilem terrorem com-  
 pescis; habuit ILLE milites, qvot opus erat, TIBI non  
 deerunt, cum opus erit; nam qvo magis hoc TIBI bene-  
 ficio obstricti sunt Agricolæ, eo alacrius castra TUA, cum  
 postulat necessitas debent seqvi. Quid non exspectandum  
 a Principe, qvi ad solium lente, ad beneficia cursim ten-  
 dit, qvi imperare recusat, anteqvam subditos sibi devinxerit,  
 qvi diadema aversatur, anteqvam splendida amoris  
 gemma sit decoratum? Perge igitur, AUGUSTISSIME  
 REX, benefacere, & pergemus nos benedicere, perge vul-  
 nera sanare, lapsisque succurrere rebus, & perpetuo tibi  
 thure sumabunt altaria, experieris amorem subditorum,  
 cumulaberis benedictione divina, & semper honos,  
 nomenque tuum, laudesque  
 manebunt.



